



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Breviario Concionatorio, Strenæ, Fidelis Prophetissa Concionibus de B. M. Virgine serviens, Conciones Occurrentes & Funebres

Tylkowski, Wojciech

Oliva, 1686

III. Quia impeccabilis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51821](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51821)

S. id prosequitur *Thomas Archiep. Valentinus conc. 3. de Nativit. Virg.* Sicut in homine collecta est omnis Creatura, & ideo Microcosmus est homo, sic in Virgine collecta est omnis Ecclesia, & Sanctorum perfectio: Unde Virgo Microcosmus, (id est parvus mundus) Ecclesiae dici potest. Quidquid in quolibet Sanctorum fuit illustre, in illa fuit, in illa patientia Job, mansuetudo Moysis, fides Abraham, castitas Joseph, humilitas David, Salomonis sapientia, zelus Eliæ. Idque ita ut juxta *Richard. à S. Laurentio lib. 2. de laud. V. cap. 2.* dici possit. Nec comparavi illi lapidem pretiosum, id est quemlibet Sanctum; quoniam omne aurum in comparatione ejus est arena, exigua, id est omnis sanctus respectu Mariæ est sicut arena respectu auri.

Amplius dixit *S. Hieron. vel alius apud eum Serm. de Assumpt.* Sicut in comparatione Domini nemo bonus est, ita in comparatione Matris Dei nulla res invenitur perfecta, quamvis eximia comprobetur. *S. Bonav. cap. 2. spec. juxta illud proverb. 31. Multæ filie congregaverunt divitias, tu sola Virgo Supergressa es universas, si filias istas intelligamus animas sanctas, vel intelligentias Angelicas.*

Quod ipsum videtur insinuasse constructio tabernaculi, ad quod extruendum quisque afferebat, quod domi habebat optimum. Principes aurum, argentum nobiliores, purpuram feminæ, coccinum &c. *Jacobus Chrysopol. comment. in Magnificat.* Nulla fuit data gratia alicui Creaturæ, quin fuerit data Virgini Mariæ. Accedat his *S. Chrysol. serm. 145.* Singulis se est gratia largita per partes, Mariæ verò simul se tota dedit gratiæ plenitudo. Quod ipsum dixit *S. August. citat. in addit. Lyran: super psalmum ex libro de natura, & gratia.* Cæteris quidem Sanctis per partes data est gratia, Mariæ autem se tota infudit plenitudo gratiæ.

Quam doctrinam confirmat ex *S. Hieron. S. Antonin. parte 4. Summa tit. 15. cap. 6.* Et *S. Damasc. orat. 1. de dormit. Virg. addit. Dei Matris, & servorum Dei infinitum est discrimen.* Collaboravit autem Virgo S. huic suæ Sanctitati, mortificationem corporis quotidie à se exegit. *Ambros. lib. 2. de Virg.* Si quando reficiendi successisset voluntas cibus plerumque obvius qui mortem arceret, non delicias ministraret, dormire non prius cupiditas, quam necessitas fuit.

3. Quia impeccabilis.

Quod *S. Anton. 4. part. tit. 15. cap. 44. 69.* sic deducit. Quia nec cessavit, nec potuit cessare à sanctitate; quia statim in utero sanctificata, ut nec venialiter unquam peccare potuerit: Angeli verò omnes potuerunt, quia aliqui defacto peccarunt. Creatura enim cum justitia originali ut *Bern. hom. 2. super Missus.* Talem sibi debuit deligere, imò condere Matrem, qualè & se decere scierat, & sibi noverat placiturâ. Quis autem non perhorrescat dicere decuisse Matrem DEI originali maculâ fuisse inquinatam

aut Deo placitum iri, in Matrem sumere quondam peccati turpitudine sædatam. Hoc ipsum *Richard. Victor. lib. 2. de Euzman. cap. 29.* his exprimit. Sicut Cælum non est capax alicujus peregrina impressionis: Ita nec Deipara propter mirabilem ejus impeccabilitatem nullam peregrinam levissimam etiam peccati originalis impressionem unquam suscepit; Imò nec sub peccati lege condita. Juxta *Laur. Justin. lib. de Cæli Commub. cap. sept.* Quotquot ex ipsa Adami nati sunt progenie, exceptis duntaxat Mediatore Dei & hominum Christo Jesu, & ejus Matre sub hac peccati lege conditi sunt. *Idem in fasciculo amoris cap. 7.* Nemo ab ipso mundi initio, usque ad plenitudinem temporis, duntaxat Mediatore ejusquæ Genitrice exceptis, jugum dominationis peccati evasit. Ipse conceptus ejus passivus quàm sanctus, audi illam de se apud *S. Brigitt:* in re hac testem. Pro certo dico tibi quod ex verbo Angeli nunciatis convenerunt carne Parentes mei, non ex concupiscentia aliqua voluptatis, sed contra voluntatem suam, ex Divina dilectione, & sic ex semine eorum, per Divinam charitatem caro mea compaginata est.

De ista sanctitate videtur locutus *Mattheus Augustus Cantacubenus* in illa canticæ *Lampades ejus*, quod 70. legunt. *Penne ipsius*, ubi ita loquitur. Sedit Virgo super Seraphim, & super ipsas supremas intelligentias, invisceratum ferens Opificem, & Conditorem universi.

De hac *Ovigen. bom. 1. in Matth.* ubi inducit Angelum, qui hunc in modum Virginem Josepho commendat. Accipe ergo ô Josephi Mariam, sicut commendatum Cælestem thesaurum, Deitatis divitias, sicut plenissimam sanctitatem, sicut perfectam justitiam. Accipe eam sicut Unigeniti mansionem, sicut honorabile templum, sicut donum Dei, sicut Creatoris omnium propriam, sicut Regis Cælestis domum immaculatam. *S. Ephem. orat. de Deip.* Intemerata, incorrupta, pura, immaculata, Virgo Deipara ab omni forde & peccati labe alienissima, omnium Regina sublimior fuit Cælicolis, purior solis radijs, & splendoribus, honoratior Cherubim, sanctior Seraphim, & gloriosior cæteris omnibus superis exercitiis. *S. Bernardin. tom. 3. serm. 12. artic. 3. cap. 1.*

Sicut Filius Mariæ est Sanctus sanctorum, ita constat, quòd Mater quæ ipsum portavit est Sancta sanctarum. Ubi ergo est summa plenitudo sanctitatis humanae, & Angelicæ, ibi semper Virgo Dei Mater, prima sanctitatis suæ jecit fundamenta, ibi detinuit gradum, & palmam fixit virgineam. *Dionys. Cartb. lib. 2. de laudib. B. Virginis art. 2.* ita habet. Scribit *Albertus Mag. in libro de laudib. Virg.* Beatissima Virgo gratiâ fuit plena. *Primò*, quia omnes gratias generales, & speciales omnium creaturarum in summa habuit. *2.* Quia & illas gratias habebat, à quibus omnis creatura vacua fuit. *3.* Quia ejus gratia tanta fuit, quòd pura creatura non fuit majori gratiæ capax. *4.* Quia increatam gratiam quæ Deus est, totam in se continuit.